



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Benevolo Lectori Authoris Consilium, & conspectus Operis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)



BENEVOLO LECTORI.

Authoris Consilium, & conspectus Operis.



THEOLOGIAM Scholasticam amplissimis hæcenus cumularunt thesauris, viri omnibus ingenij & scientiarum diuitiis Locupletissimi, ego de mea penuria duo affero minuta in gazophylacium Templi Domini, vt si minus futura est vtilis tenuissimi doni vilitas, grata tamen & accepta sit æternæ Sapientiæ dantis voluntas, cui vni Theologia hæc tota scribitur, velut eius apographum, & exemplar obscurissimo descriptum monocromate, quam Doctrinam totam æterni Patris, & integram eius Theologiam sæpe appellat Augustinus.

Scio quam sit vel periculosum, vel inutile hoc tempore, de Sacra Doctrina nouum aliquid scribere, in quo illa & apud indoctos, propter obtrectatorum calumnias minùs bene audit, & apud eruditos propter scriptorum etiam optimorum copiam fastidio esse coepit. Nimirum extingui necesse est in illa splendidissima tot siderum luce, tenuissimum lumen lucernulæ, neque inter tot oracula Sapientiæ audiri lingua balbutiens tūd poterit.

Deterrebat me iam pridem a scribendi consilio hæc cogitatio, & quæ meis auditoribus publicè per plures annos in exedra Theologica tradideram, consultiùs ducebam sepulta relinquere in illo puluere, nisi me plurimum mouisset beneuolentia, impulisset autoritas ad proferenda ea in lucem publicam, & ad offerendum minimum illud munusculum ante altare holocausti, ad laudem & gloriam eius cui perpetuum Hymnum canunt sidera omnia etiam infimæ magnitudinis.

Parui ergo & amice monentibus, & suauiter imperantibus atque vt breuibis quibusdam terminis ea concluderem vniuersa, quæ amplissimis Scholasticæ Theologiæ diffusa spatijs, in immensam proferi solent prolixitatem, Sex mihi nomina sufficere visa sunt ad circumscribendam clara methodo totam hanc Doctrinam quam omnem duplici tomo definirem, & in priori quidem dicerem de Deo, Angelo, & Homine, in posteriori, de Christo, Deipara, Sacramentis. Argumentum videlicet primæ considerationis huius, sit Deus creator & primaria duo potentia ipsius opera, Angelus & homo: Argumentum secundæ, Deus Redemptor, & duo amoris eius maxima miracula, Deipara, & Sacramenta: Vt in altero intelligere liceat Creatoris eximiam maiestatem in altero suauissimam Redemptoris benignitatem, ex vtroque autem discere quisque
ē valeat

valeat quantum laudari debeat Deus magnus & laudabilis nimis, & amari Deus paruulus & amabilis nimis. Hoc est consilium authoris, hic finis operis.

Duodecim autem tractatibus totam complector Doctrinam Theologiæ Scholasticæ. Primus in hoc priori tomo erit Tractatus de Deo Vno & Trino. Secundus de creaturis spiritualibus completis. Tertius de homine propterea electus est ad beatitudinem per Dei misericordiam. Quartus de homine propterea lapsus est in peccatum per propriam malitiam. Quintus de homine propterea erectus est à peccati malicia per Christi gratiâ. Sextus de homine propterea præparatus est ad beatitudinē per virtutes præsertim Theologicas, quia moraliū plenior tractatio posita est in Philosophia morali, & ad casus conscientiæ magis spectare videtur, quam ad Theologiam Scholasticam.

Ad extremum hoc habeo Lectori meo polliceri, perfecturum me quantum conniti animo potero, & labore contendere in toto decursu suscepti operis ut duo eitem, quæ iudicaui semper & lectoribus incommoda, & Doctoribus probrosa, primum est obscuritas, alterum nouitas. Quippe sicut in rebus corporeis nihil est luce pulchrius quàm sublatâ omnis pulchritudo rerum interit, restitutâ reuiuiscit, sic in tradendis disciplinis, & libris scribendis, nihil est amabilius claritate illa, quæ caliginem omnem discutit, obscura manifestat, implicata euoluit, dubia digerit, arcana veritatis reuelat, inordinata disponit. Illa luce quid optabilius, quæ prima exiuit ex ore Dei, primogenita ante omnem creaturam, & primam eius meruit benedictionem. Conciliat illam sine dubio methodus, & mediocris breuitas, vtranque si potero non desiderabit Theologus in hoc opere.

Nouitatem omnem in Doctrina Sacra prophanam esse didici ab Apostolo erudiente Doctorem Timotheum, prophanas inquit nouitates deuota: & tamen experimur cum luctu, vulgare hoc esse sæculi malum, in quo Aristotelem inscitæ damnat noua Philosophia, inde Nouitas inficit Theologiam vbi audimus monstra opinionum quæ Fidem etiam corrumpunt & nouas hæreses inducunt in Ecclesiam.

Mihi sanè fateor Nouitatem semper suspectam fuisse, placuisse Veritatem & soliditatem, via per quam ingredior publica est, loquor ut plures, sequi malo duces incorruptos, quam solus committere me periculo viarum, & memini sapienter dictum esse à Vincentio Lyrinensi in commo-
nitorio. *c. 27. O Timothee, ô Sacerdos, ô Doctor, si te Diuinum munus idoneum fecerit, ingenio, exercitatione, doctrina, esto spiritualis Tabernaculi Bezeleel, pretiosas Diuini dogmatis gemmas ex culpe, fideliter coapta, adorna sapienter, adice splendorem, gratiam, venustatem, intelligatur te exponente illustrius quod antea obscurius credebatur, per te Posteritas intellectum gratuletur, quod ante Vetustas non intellectum venerabatur: eadem tamen quæ didicisti ita doce, ut cum dicas nonè, non dicas noua.*